DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE CATARRHO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES GOVAN, A. M.

BRITANNUS,

Ad diem 12. Junii, hora locoque solitis.

———*periturae parcite chartae.* HOR.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M, DCC, LXXII.

Mr. Leggetwood
from his most obedt. Sert.
The Author



Juveni amico

GULIELMO ALEXANDER,

Sibi longa familiaritate charo,

In teſtimonium

Eximiae Spei

Quam laetus fovet,

Illum,

Familiae, Amicis, ac Patriae,

Decori quandoque futurum,

Hancce Diſſertationem

Inſcribi voluit

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

DE

CATARRHO.

NULLA, fortaſſe, orbis terrarum regio, morbo quocunque per populos graſſante, magis vexatur, quam Britannia catarrhis. Morbus equidem adeo levis plerumque eſt, ut ope medica indignus vulgo cenſeatur; periculi autem expertem nemo crediderit, qui, diſciplina medica vel leviter imbutus, noverit, morborum inſidioſiſſimo, phthiſi nempe pulmonali, quae, Inſulae noſtrae incolas, prae aliis, adgreditur jugulatque, catarrhos ſaepiſſime viam ſternere.

QUUM, igitur, talis ſit catarrhus, quum tam frequenter recurrat, tamque funeſte haud raro terminetur, ſummam attentionem honores medicos in Britannia petentium jure ſibi vindicare videtur.

QUAPROPTER, dum almae hujus Univerſitatis legibus morem gerere adgredior, quaedam de hujus morbi natura et curatione proponere ſtatui.

DEFINITIO.

PER catarrhum intelligitur, muci ex glandulis membranae narium, faucium, et bronchiorum excretio ſolito major, vel ſaltem hujus excretionis molimina, cum pulſu frequente, et corporis calore aucto.

HISTORIA MORBI.

HIC morbus febris inſtar inflammatoriae communis incipit; horrore, nempe, frigoribuſque et caloribus alternis. Ex aura frigidiuſcula ſenſu frigoris moleſtimo afficitur aeger. Dolet caput; gravantur oculi, inſolitaque lachrymarum copia ſuffunduntur. Infarcti nares aerem tranſmittere nequeunt,

dum

dum humor tenuis jugiter exinde defluit. Sternutatione quoque frequenti laboratur, saepiusque et raucedine. Ingruit et tussis, plerumque sub initio sicca, sonora.

NONNUNQUAM et guttur calore afficitur insolito, et rubescunt fauces, cum parva deglutiendi difficultate, aliisque levioris anginae symptomatibus.

ALVUS fere semper adstringitur; nonnunquam tamen, sed rarius, adest diarrhoea. Urina rubet, solitoque saepius redditur, et minori copia.

VESPERASCENTE die, exacerbationem passa febris, somnum per noctem aegro adimit.

SANGUIS tunc temporis missus, crustam coriaceam albidam in superficie ostendit.

NEQUE ventriculi status silentio praetereundus est: Quum enim in aliis morbis febrilibus omnino prosternatur appetitus, in febre catarrhali nonnunquam supra solitum augetur. Hoc autem de morbi initio tantum intelligendum est: Brevi enim turbantur

et

et organa digeſtionis, ſuiſque muneribus fungi nequeunt.

DIAGNOSIS.

Ex ſymptomatibus recenſitis, perfacilis eſt catarrhi diagnoſis, prioribuſque rite perſpectis, ab omni alio morbo facile diſcerni poteſt, rubeola tantum tuſſique convulſiva incipientibus exceptis.

QUOD ad rubeolam attinet, primo ſtadio, febrem catarrhalem ita ad amuſſim refert, ut, ni aegrum rubeola olim laboraſſe certiores ſimus, nulla certa ſit morborum diſtinctio, donec, paucis interjectis diebus, exanthematum eruptio rem extra dubitationem ponat.

FORSAN et in rubeola major plerumque adeſt ſyſtematis irritabilitas, majorque praecedit anxietas, uti ſolet in febribus cum eruptione ſtipatis, priuſquam appareant maculae.

In tuſſi convulſiva quoque, ſymptomatum ſimilitudo ſimilis in diagnoſi difficultatis cauſa eſt; ita ut, niſi notum fuerit, aegrum jam ſemel tuſſi convulſiva affectum fuiſſe, exſpectandus erit, ad morbum dignoſcendum, modus inſpirationis, tuſſi convulſivae proprius, quique haud raro non, niſi longiore temporis intervallo, ſeſe monſtrare incipit.

Praeter has difficultates, quae morbi incipientis diagnoſin reſpiciunt, reſtat inſuper alia in ejus decurſu; quando enim catarrhus ſolutionem benignam intra ſolitum tempus non admiſerit, talis ſaepe eſt ejus cum phthiſi pulmonali nexus, ut vix invicem diſtingui queant morbi: Phthiſis ſaltem hiſce regionibus frequentiſſima, nihil aliud quam catarrhi ſtatus provectior, in omni fere caſu, cenſeri poteſt; quippe incerti ſunt utriuſque morbi limites; nec ulla obtinet determinata ſeparationis linea; ſed ibi incipit phthiſis, ubi deſinit catarrhus.

Quum autem maximi ſit momenti, hos affines morbos accurate diſtinguere, ſigna praecipua

K K

praecipua diagnoſtica hic breviter adtingere, haud abs re eſſe videtur.

CATARRHUM igitur in phthiſin tranſiiſſe, ſequentibus potiſſimum indiciis judicamus.

SI ultra paucas ſeptimanas perduraverit morbus, praeſertim ſi nec ineunte aeſtate receſſerit; ſi tuſſis, initio ſonora, in tuſſiculam obſcuriorem abierit, quaeque ex irritatione profundiore nata videatur, et poſt paſtum praecipue moleſta; ſi dyſpnoea, ad minimum corporis motum aucta, vexat; ſi dolor punctorius in thorace perſentitur, cum quodam titillationis ſenſu ad fauces; ſi in utrumque latus decumbere nequeat aeger; ſi, demum, febre hectica afficitur, cum pulſu frequentiore, ſed molli et undoſo, ſiti fere perpetua, licet lingua ſordibus pura prorſus et nitida ſit; ſudoribus per noctem profuſis, circa caput praecipue et thoracem; labiorum, genarum, et caruncularum lachrymalium, rubore roſeo, miraque tunicae oculi albugi-

neae

neae pelluciditate ; atque totius denique corporis tabe lenta, vocisque mutatione : Talis symptomatum concursus, febrem excipiens catarrhalem, phthiseos jam inceptae vix ullum relinquit dubium; praesertim si vel labe quadam hereditaria, vel mala thoracis conformatione, vel pulmonum debilitate, quomodocunque inducta, huic morbo idoneus sit aeger.

PROGNOSIS.

In genere, morbus de quo agitur periculi, pene expers est, paucorumque dierum spatio solvitur, modo aeger, haud vulgaria, ut saepe fit, temnens, morbo incipienti occurrerit.

Felicis terminationis signa sunt: Respiratio libera; sputa cum tussi liberius exscreata; mucus e naribus stillans spissior blandiorque; circa os, denique, et nares, pustularum rubrarum eruptio.

Ex

Ex altera parte, infausti est ominis, quando magnopere saeviunt symptomata febrilia; quod, sive ex morbo sub initio neglecto, sive imperite tractato, nonnunquam accidit.

Imminet praeterea periculum, si respiratio difficilis fit: Neque nullum adest discrimen e tussis violentia, qua magis magisque accenditur febris.

Sed nihil aeque pertimescendum est ac strictura circa praecordia, dolorve in thorace fixus, acutus: Haec enim symptomata aut peripneumoniae supervenientis signa sunt, aut tuberculum in pulmonibus ortum indicant, ex quo in proclivi est phthisis pulmonalis.

CAUSAE MORBI.

I. *Causae praedisponentes.* Ut constat, catarrhos phthisi pulmonali praedispositis maxime periculosos esse, sic quoque hos, prae caeteris, adgrediuntur. A molliore ac

delicatiore corporis habitu, cui phthifica labes femper adhaeret, hoc fequi videtur: Quofque enim debiliores, licet phthifico vitio nequaquam infectos, catarrhis aptiffimos effe, multiplici conftat experientia.

CONGENITA quandoque videtur, quae huic morbo favet, debilitas; ut plurimum tamen erroribus quibufdam in vitae regimine debetur. Hujufmodi funt, corpus minus jufto exercere; nimis domi degere; inque cubiculis quae ignibus focariis calent fefe continere; nimiumque laute vivere. Has ob caufas, infantes foeminaeque hoc morbo faepiffime corripiuntur. Hinc quoque, nobiles ordinefque excelfiores, vitae genere molli et otiofo, hujus morbi incurfionibus fefe aptos reddunt; dum vulgus hominum, laboribus durum, nec luxu fractum, morbum fere ignorat.

ET hic, liquorum fermentatorum effectus minime praeterire poffumus. Hi enim, nimia quantitate fumpti, certiffime ad hunc morbum praedifponunt. Ut de vino tantum dicam, quo nihil fortaffe, five per fe gratius,

ſive ad uſum praeſtantius, aegris mortalibus munere conceditur divino; quid duris hiſce plagis ſeptentrionalibus modico ejus uſu ſalubrius? Vi ſua tonica et ſtimulante, corpora ad coelorum inclementiam tolerandam roborat firmatque; idemque, laborum dulce lenimen, animos ipſos, coelo nubiloſo, eheu! nimium affectos, mire reficit et exhilarat.

Dum autem ſucco vere nobili ſuam tribuimus laudem, nullo modo diſſimulandum eſt, quam peſſimos effectus ex ejus abuſu ſequi. Varia ebrietatis mala hujus loci non eſt recenſere. Ad propoſitum noſtrum obſervaſſe ſufficiat, liquorum ſpirituoſorum vel fermentatorum uſum immodicum, quanquam prima operatione ſyſtema ſtimulet, vimque nervoſam excitet, brevi tamen relaxationem quam maximam inducere. Hinc, etiamſi, ex largiore vini potatione, ſyſtematis nervoſi excitatio novas corpori vires addere videatur, ita ut cauſis, morbo inducendo alioquin idoneis, reſiſtere par ſit; breviter tamen ſinitur paroxyſmus, eique ſuccedit vis nerveae collapſus, viriumque ſyſtematis, modo

do ſupra naturam auctarum, reſolutio et proſtratio, quae febris catarrhalis productioni adeo favet, ut, ex cauſis externis, etiam levioribus quam quae per ſe ei inducendo aptae eſſent, ſtatim naſcatur morbus.

Si id genus liquores potantur calidi, multaque tepida diluti, quanto majorem relaxationem atque debilitatem eorum uſu inducitur, tanto magis, ſub hac forma, nimia pocula nocent, febribuſque catarrhalibus homines obnoxiores reddunt.

Dormientes quoque hujus morbi cauſis externis opportuniores ſunt quam vigilantes, ob ſimiles, ut videtur, rationes.

Eodem, denique, conducunt evacuationes praegrandes, animique pathemata triſtia.

II. *Cauſae procatarcticae.* Hae ad tria capita generaliora referri poſſunt.

1mo, Frigoris ad corpus applicatio.

Nullus equidem frigoris gradus, quantumvis intenſus, morbum per ſe inducere poteſt. Ita enim a Natura fabricata ſunt corpora humana, ut caloris varietates, vel in locis maxime diſſitis, abſque incommodo tolerare

lerare queant: Neque Poli Arctici incolae catarrhis magis subjecti forent, quam qui sub Zona Torrida degunt, si illis frigora aeque ac his calores constantes essent.

SUBITÆ frigoris calorisque vicissitudines solae nocent, hujusque morbi causae praecipuae censendae sunt.

HINC apud nos maxime grassatur morbus, dum mutabilis variaque coeli temperies. Hinc etiam imminens morbi periculum ex subita frigoris applicatione, dum exercitio vehementiore, aliove quovis modo, nimis calefactum est corpus. Et hinc, demum, catarrhorum in hyeme frequentia: Crebrae enim, ea tempestate, coeli mutabilitatis ratione posthabita, ex sola aeris, in domibus, ignibus focariis calefactis, atmosphaeraeque externae temperie longe diversa, necesse est ut saepe oriatur morbus.

2*do*, HUMIDITAS, praesertim cum frigore conjuncta, morbi occasionem persaepe praebet. Testantur catarrhi frequentes ex aeris crassitudine aquosa, ex vestimentis madidis, et potissimum ex pedum humectatione;

one; quae omnia, vulgari experientia confirmata, longiore illuſtratione nequaquam egent.

3*tio*, NONNE et contagio inter cauſas catarrhi occaſionales recenſenda venit? Sunt certe quae ſuadent. Inter alia, morbus *Influenzae* nomine celeberrimus, qui jam ter quaterve, intra hominum memoriam, totam fere Europam, Africam, et Americam, epidemice pergraſſatus eſt, quique catarrhi ſymptomatibus ſtipatus fuiſſe videtur.

III. *Cauſa proxima.* Symptomata ſupra recenſita, auctam fluidorum determinationem, membranam verſus Schneiderianam, cum ejus membranae plus minus inflammatione, plane monſtrant. Nullus ergo dubitandi locus eſt de morbida ſyſtematis affectione, cui proxime referenda ſunt phaenomena.

CAUSARUM attamen quas memoravimus actio, earumque operationis inveſtigatio propior, quove modo talem huic membranae mutationem inducant, quum ſenſibus magis latet, ad difficiliora ducere neceſſe eſt.

SUNT

Sunt qui per materiem morbificam, ſive foris admotam, ſive in corpore ipſo generatam, rem explicare volunt.

Priori opinioni favet natura morbi contagioſa, quae materiem quandam morbificam, ex aeris ſtatu pendentem, in corpus introductam, ſuadere videtur.

Acrimonia, intus nata, ex materie perſpirabili obſtructa originem ducere creditur. Humorum pars corrupta, quaeque in acrimoniam putridam jam vergit, per cutaneam perſpirationem expurgatur et ejicitur. Quando, igitur, vaſa exhalantia, in corporis ſuperficie, vi atmoſphaerae frigidae humidaeque arctantur, quo multum conducit ſyſtematis, ex cauſis quibuſcunque, ſtatus debilior, hoſce humores aliorſum converti neceſſe eſt; quumque acrimonia, ut dictum eſt, praediti ſunt, febrem producere, ſive partibus, ad quas forte feruntur, irritationem et inflammationem inducendo, ſive fluida univerſa inficiendo, haud abſonum eſſe dicitur.

Nonne,

Nonne autem sola circulationis, ex causis antedictis, mutatio, internaque fluidorum determinatio, morbi phaenomena sat explicat? Quid, igitur, ad materiem morbificam, naturae prorsus ignotae, nulloque experimento detegendam, confugere cogit?

Varia insuper obstant, quo minus, acrimoniam in systemate a perspiratione impedita unquam generari, credatur: Sic, ut alia omittam, saepe, sine ullo tali incommodo, non solum impeditur perspiratio, sed et aliae in corpore humano secretiones multo magis ad acrimoniam generandam idoneae retinentur.

Immo, et de acri foris admoto, jure dubitari possit: Quum adhuc nimis raro per contagionem communicari visus sit morbus, quam, ut certa inde deduci possit ratiocinatio.

Superest et alia, hac de re, haud facile solvenda quaestio. Quaeritur, nempe, quamobrem, ex causis externis modo enarratis, membrana Schneideriana, prae alia quavis corporis parte interna, morbo afficiatur?

tur? Quandoque, revera, ex partium ſitu peti poteſt hujus rei ratio. Haec enim membrana, cavum narium, fauces, trachaeam, aliaſque qua ſpiritus meat partes, inveſtiens, aeris frigidi ſtimulo facile irritari poteſt. Quum tamen topicus partis affectae ſtimulus nonnunquam admitti nequeat, velut, ſi ex pedum humectatione ortus fuerit morbus, rem mihi omnino inexplicabilem videri, ingenue fateor.

PIGET, ſane, medicorum ratiocinationes, circa cauſas morborum proximas, ejuſmodi dubiis tam ſaepe premi. Sed reputandum eſt, magis ſemper intereſſe, ſcire quid ſit, quam quomodo fiat. Nec, mehercule, eſt cur artem medicam conjecturis tantum fultam eſſe, nulliſque certis gaudere principiis, ideo crederetur. Cum aliis etenim ſcientiis hoc commune habet medicina: Quae enim ſua obſcura et incerta non agnoſcit? Triſte, revera, ſolatium praebet communis illa humanarum ſcientiarum ſors; ſed opprobria ſaltem arti noſtrae ab obtrectatoribus integra valetudine

ne gaudentibus invecta, refellit. Sed ad rem tandem redeamus.

SYMPTOMATUM RATIO.

MEMBRANAM Schneiderianam, morbi sedem esse, supra positum est: Nunc tantum restat, ut, ex ejus conditione morbosa, variorum symptomatum ratio deducatur.

SINGULA morbi phaenomena recensere, et fusius explicare, nimis longum foret, nec operae pretium: Sequentia tantum, et leviter, adtingere sufficiat.

MUCI excretio aucta, ex glandulis quibus undique scatet membrana, nimia vasorum distensione irritatis, plane pendet.

HUIC quoque distensioni, quae tumorem partis inflammatorium efficit, recte ascribuntur, et narium infarctio, et capitis dolor gravativus, atque humoris lachrymalis fluxus.

Eadem eſt et ſternutationis cauſa; hanc enim ex irritatione quadam in naribus nata oriri conſtat.

Raucedinis etiam ſimplex eſt ratio; nam ſi, ut docent anatomici, vox clara a glottidis, cartilaginum laryngis, partiumque vicinarum tremoribus pendet, neceſſario ſequitur, ut, amiſſa vi partium vibrabili, ſive ex inflammatione vicina, ſive ex muco nimia copia obducto, vox vel rauca vel nulla reddatur.

Tussis, vel ex muco congeſto, aliave cauſa, membranam aſperae arteriae interiorem irritante, oritur. Nam, cum haec membrana ſtimuli impatientiſſima ſit, muſculos reſpirationis in contractionem cogit, quo expellatur cauſa moleſta.

Appetitus, ſub initio morbi, nonnunquam ſolito major adeſt, e ſtimulo fortaſſe uſque ad ventriculum communicato, ejuſque tonum, pro tempore, augente; brevi autem, inducta relaxatione, ut fere fit, e nimia ſtimuli diuturnitate, atque ventriculo colluvie

colluvie mucofa gravato, profternitur omnino appetitus.

De aliis morbi fymptomatibus, quae vel omni febri communia funt, vel inflammationi topicae propria, hic fpeciatim agere, fupervacaneum foret.

MORBI CURATIO.

Ad alteram itaque propofiti partem, quae morbi curationem fpectat, jam tranfeo: Atque hic agendum eft,

1*mo*, De Prophylaxi.

2*do*, De Methodo Medendi.

Prophylaxis.

Priusquam ad ea quibus fanari poteft praefens catarrhus progrediamur, nonnulla de iis quae morbo praeveniendo inferviunt praemittere,

praemittere, haud inutile videtur; mihi enim persuasissimum est, quod, si rite institueretur prophylaxis, multo minus frequentes, apud nostrates, forent catarrhi.

Haud equidem ignoro, climatis nostri inconstantiam, tempestatisque magnas subitasque varietates, hujus morbi productioni quam maxime favere. Ex perspecta tamen in operibus Naturae benevolentia concluderem, quod, cum nos in plagis durioribus collocaverit Alma Rerum Parens, coelumque dederit varium et mutabile, corpora simul robustiora concesserit, aliaque benigniter largita sit, quibus atmosphaerae potestatibus nocivis, aliisque ex situ noxis, facilius resisteremus.

Talibus ex analogia ductis ratiocinationibus consentit certe experientia. Unde igitur, si ita se res habeat, tanta catarrhorum inter Britannos frequentia? Patet responsio: Ipsi in culpa sumus. Neque repugnat, hos prae caeteris catarrhis obnoxios esse, qui morbo praecavendo toti incumbunt. Haec ipsa, mehercule, prima

labes

labes mali; nec ulla catarrhorum caufa uberior exiftit, quam praxis praepoftera prorfus atque abfurda circa morbi prophylaxin.

Catarrhos a frigore ac humiditate corpori applicatis nafci, quotidiana docet experientia. Hinc quam perperam vulgo ratiocinantur homines, quod, quo plus fefe domi contineant, ubi aer vi focorum calet, tanto minus hoc morbo laborabunt! Si quidem eo ufque pervenire poffemus, ut aëris ambientis temperies a gradu quodam determinato nunquam variaret, morbum fic penitus arceri poffe, nequaquam recufo. Sed repugnant naturae humanae fors, vitaeque civilis ratio. Qui, fub coelo Britannico, caufas catarrhorum externas data opera refugiunt, hoc tantum agunt, ut iifdem magis opportuni fiant; quicunque ergo rem plane ineptam molitur, certo periculo fefe involvit.

Alia igitur quaerenda eft methodus, quae conditioni noftrae magis conveniat.

Et

Et hic constat, quod, si quavis arte corpora nostra in eum statum inducere possemus, ut causis morbi externis resistere queant, perinde esset ad morbum praecavendum, ac si istiusmodi causae nunquam existerent. Atque haec vera est morbi prophylaxis, quae, vitae muniis nequaquam repugnans, omnibus patet; quaeque, si recte institueretur, etiamsi morbum haud semper praecideret, hoc saltem sine dubio efficeret, ut Britannos prae aliis Europae populis neutiquam invaderet.

Quo Naturae consiliis in prophylaxi instituenda obsequamur, sequentia potissimum, quae et ratio suadet, et experientia confirmat, diligenter observanda sunt.

1*mo*, Fugienda sunt quaecunque systema debilitant, vel magis irritabile reddunt.

Hinc vitandus est omnis cibi potusque excessus, qui plethoram generat, et, justam fluida inter ac solida rationem evertens, irritabilitatem auget; quique, ut superius observatum fuit, solidas corporis partes multum relaxat et debilitat.

Pari

Pari ratione, ſaepe laedunt et foci domeſtici, praeſertim ſi grandiores ſunt. Nihil aeque enervat ac calor diu continuatus : Atque hinc fit, ut, qui ſeſe ignibus focariis multum aſſuefaciunt, frigori externo vix unquam committere poſſint corpora, quin leviora catarrhi ſymptomata, aliamve hujuſmodi incommoditatem, inde percipiant. Si a vitae genere ſedentario, corpus in debito caloris gradu conſervari nequeat, ſatius erit, frigus additis veſtimentis diſſolvere, quam lignum ſuper foco largiter reponendo. Ex utraque methodo ſua ſequuntur incommoda ; prior attamen, qua conſtantior conciliari poteſt caloris gradus, potior videtur, et apud pleroſque Europae populos revera obtinet: Soli Britanni, propriis inſtitutis plus juſto dediti, morem nondum recepimus; ſed catarrhis, et rheumatiſmis, aliiſque id genus morbis fere perpetuis, vexati, poenas pertinaciae debitas luere videmur.

Foci in cubiculis accenſi, quum prae aliis nocent, vitandi ſunt.

Hic quoque memoranda ſunt animi pathemata deprimentia, quae, nexu quodam inexplicabili, et in corpus effectus ſuos edunt. Hinc venus nimium culta duplici modo nocet.

2*do*, Danda eſt opera ad totum ſyſtema corroborandum.

Huc imprimis conducunt haec tria:

a. Corpus modice exercere.

b. Balneo frigido uti.

c. Saepe ſub dio verſari.

a. *Corpus modice exercere.* Exercitationis effectus ſaluberrimos quis neſcit? Quid, fibris ſolidorum roborandis, magis idoneum? Quid motibus fluidorum conſervandis, ſecretionibuſque promovendis, magis aptum? Nec corpori tantum prodeſſe credendum eſt; ſi ex animi oblectatione, vultuque hilari, ita colligere fas ſit. Sed, utcunque hoc ſe habeat, de tonicis exercitii effectibus inter omnes convenit. Unum tantum, quominus in re utili erretur, hic monendum eſt; nempe, quod citra fatigationem ſiſtere oportet: Si enim ultra certum modum exercetur corpus,

pus, ſequentur partium debilitas et atonia.

b. *Balneo frigido uti.* Quanti apud Graecos et Romanos haberentur lavationes frigidae, a poëtis mediciſque paſſim colligere eſt. In medicina certe praeſtantiſſimum ducebantur remedium : Immo et ſani eodem utebantur auxilio, quo corpora duriora ac firmiora redderent. Atque hoc eo magis veteribus cordi fuit, quod apud eos diſciplina militaris, cujus ſtudio optimus quiſque civis flagrabat, ſummum corporis robur neceſſario exigeret.

Mos eſt et apud Indos Americanos, ſi auctoribus fides, naſcentes ad flumina deferre, gelidâque quotidie immergere, quo militiae et venatus labores in agris montibuſque incultis perferre apti fiant.

Sed ex ſola gentium bellicarum auctoritate, quantacunque jure cenſeatur, res nequaquam pendet. Ratione atque experientia compertum eſt, balnei frigidi uſum, vaſa omnia conſtringendo, fibris ſimplicibus firmitatem, viviſque tenſionem debitam, conci-

liando, ſummopere ad corporis vires augendas conferre, plurimumque conducere ad homines e variis malis ſervandos, quae a ſubitis tempeſtatum variationibus originem ducunt.

c. *Saepe ſub dio verſari.* Memorabiles ſunt conſuetudinis effectus, et in corpus et in mentem humanam. Hac mira facultate, qua pollet natura humana, ſaepe inter morborum cauſas incolumes ſervamur. Hinc, qui tempeſtatum injuriis ſaepius objiciuntur, coelorum inclementiam impune ferunt; dum, qui jovi frigido ſeſe credere timent, noxis inde ortis nunquam ferme immunes ſunt. Illuſtre exemplum praebet pedum humectatio, qua, minus aſſuetis, nulla frequentior catarrhi cauſa; dum pueris, aliiſque quibus a multo tempore in conſuetudine eſt, nihil inde mali conſequitur.

ME-

METHODUS MEDENDI.

Ex prioribus de morbi natura obſervatis, ſequentes indicationes curativae ſequi videntur.

I. Diathesi phlogiſticae occurrere.

II. Fluida, in membranam Schneiderianam converſa, aliorſum determinare.

III. Mucum blandiorem reddere, ejuſque excretionem promovere.

Ad primam indicationem ſatisfaciendam, adhibentur praecipue venaeſectio et regimen antiphlogiſticum.

1*mo*, Quando, vel ſub morbi initio, vel in ejus decurſu, magnopere ſaeviunt ſymptomata febrilia, et praeſertim ſi reſpiratio ſit difficilis, ſanguinem, pro aegri aetate, viribus, et temperamento, mittere neceſſe erit. Sed leviora plerumque ſunt ſymptomata quam ut tali egeant remedio. Atque haec ſane evacuatio, ſaltem ſi ſaepius repetita fuerit, tantam inducit debilitatem, ne alia e-

jus

jus incommoda memorem, ut, si alio quovis modo propositam finem sine periculo persequi daretur, rarius eo confugerem.

2do, Regimine antiphlogistico, huic intentioni, satis certo ac multo tutius in plerisque hoc morbo laborantibus, satisfacere possumus. A victu itaque animali; a condimentis; liquoribus fermentatis, aliisque id genus stimulantibus, abstinere debet aeger. Imperandus est victus tenuis, blandus, lac, puta, vel olera atque legumina. Multum hic prosunt fructus maturi; grata enim aciditate sitim et calorem temperant: Facile quoque digeruntur, simulque, alvum leniter subducendo, et febrem generalem mitigant, et auctae fluidorum in membranam mucosam determinationi obviam eunt.

TALI regimini cedent, fere semper, inflammatoria morbi symptomata. Robustis, plethoricis, rigide observandum est: Ægris debilioribus regimen aliquanto lautius concedere oportet.

QUOD ad secundam indicationem attinet, danda est opera, ut, per omnes corporis partes,

tes, redeat circulatio aequabilis; atque praecipue ſuperficiem verſus dirigenda ſunt fluida.

Hinc, adhibenda veniunt diaphoretica mitia, quae ſine ſtimulo perſpirationem liberam ſervent, lenemque ſuperficiei madorem inducant, fluidis eo converſis.

Emetica eidem favent intentioni, ex noto conſenſu cutim inter et ventriculum. Maxime arridet tartarus emeticus, in parvis doſibus, aliaque ex antimonio praeparata quae nauſeam excitant.

Nequaquam tamen propinanda ſunt medicamenta volatilia calidiora; utpote quae vel febrem acuunt, vel ſudores profuſos colliquanteſque eliciunt, quibus, licet praeſens malum levetur, quod et incertum eſt, franguntur tamen aegri vires, recidiviſque via ſternitur.

Neque in vehementiore caloris gradu continendus eſt aeger: In modico tantum tepore ſervari debet, ad lenem diaphoreſin promovendam.

Quibusdam

QUIBUSDAM ſolenne eſt, hunc morbum liquoris ſpirituoſi potione immodica ſolvere. Felicis inde eventus ne quidem deſunt exempla. Res nihilominus periculi plena. Poculis enim largioribus, humorum circuitum accelerari, calorem augeri, aliaque febris ſymptomata incitari et commoveri, neceſſe eſt; quae omnia, ni ſudor benignus brevi excipiat, aegrum inconſultum in vitae diſcrimen conjicient.

EX hac praxi, in temperamentis ſanguineis, plus conſequitur periculi; in frigidis atque phlegmaticis, minus: Sed, ne his quidem tuto uſurpari poteſt, niſi febris leviſſima.

PARI periculo ſeſe objiciunt, qui exercitio corporis vehementiore morbum ſolvere adgrediuntur, quod nonnulli ſuadent. Multum tamen prodeſſe exercitationem modicam, dummodo abſit plethora, febriſque violentior, nequaquam inficias eo: Praecipue autem, praegreſſo morbi initio, quum jam receſſerit febris, et aeger colluvie ſeroſa obruitur, determinationem ad cutem leniter promovendo,

promovendo, effectus quam saluberrimos edit exercitium.

ALVUM laxantibus quoque, vel eorum loco injectionibus emollientibus, opus erit, si alvus adstricta. Prosunt, fluidorum quantitatem minuendo, systematis tensionem levando, febremque, et nimiam fluidorum in partes affectas determinationem, reprimendo.

PEDILUVIORUM etiam, ad hanc intentionem implendam, haud contemnendus est usus. Agunt, ut nonnulli credunt, a partibus superioribus derivando. Sed huic opinioni multa objici possunt. Ex vi relaxante, qua diaphoresi favent, melius forsan explicabitur eorum agendi modus.

EST et vesicantibus hic locus: Vi enim antispasmodica, qua pollent, circuitum aequabiliorem promovent; humoresque, fortasse, in loca quibus imponuntur convertendo, partes affectas eorum onere liberant. In catarrho senili plurimum prosunt. Ubi coryza tantum laboratur, nihil opus est eorum auxilio.

TERTIA,

Tertia, denique, indicatio, quae ad materiei excretae indolem et copiam ſpectat, medicamentis demulcentibus, opiatis, atque expectorantibus, proſequenda eſt.

1. Medicamenta demulcentia, blanda, quae fauces, laryngem, oeſophagum, aliaſque quas pertranſeunt partes, lubricant, humoriſve ſecreti particulas acres obducunt, irritationi minuendae optime inſerviunt.

Sunt qui longe majores effectus talibus aſcribunt medicamentis, quae in univerſa fluidorum mole mutationes quaſdam inducere praedicant.

Sententiam temere receptam, ut gravibus in arte viris videtur, hujus non eſt loci refellere; quum, utcunque ſe res habeat, nimium parce, in hoc morbo, his uti liceat remediis, quae ventriculo ſaepius officiunt, quam ut notabiliores inde effectus ſperare detur.

Præ caeteris hic juvant, decoctum hordei, decoctum pectorale, gummi arabicum, gummi tragacantha, ſago, ſalep, aliaque mucilaginoſa.

Multo

MULTO minus placent oleoſa, quibus multi in hoc morbo abutuntur: Talibus, ſcilicet, vel minori copia ingeſtis, onerantur organa digeſtionis, jam morbo fracta; ex quo neceſſe ſequitur febris incrementum. Sola arridet Miſtura oleoſa, ex cujus uſu modico nonnihil utilitatis percipi poteſt.

2. OPIATA, ad muci tenuitatem et acrimoniam corrigendam, multum conferunt. Eorum ope, minuitur nimia partium ſenſilitas; dumque inſpiſſatur mucus, neutiquam impeditur ejus excretio. Sopita quoque irritatione, tuſſim, qua aeger perpetuo agitatur, compeſcunt; ſimulque placidam conciliant quietem.

QUANDO autem gravior adeſt inflammatio, caute adgrediendus eſt eorum uſus, nec niſi debitis evacuationibus praemiſſis: In caſibus levioribus, maturius adhiberi poteſt eorum auxilium.

3. EXPECTORANTIBUS, denique, ſi opus fuerit, ut promoveatur muci viſcidi excretio, praeter emetica, quae in hunc ſcopum

maxime conducunt, radix ſcilla, parvis doſibus exhibita, multum prodeſt.

Huic quoque fini inſervit gummi ammoniacum; cujus tamen, prae vi ſua ſtimulante, tutior eſt uſus in temperamentis frigidis, quam in aegris junioribus, majorique irritabilitate praeditis.

Eadem obſervanda ſunt de alkali cauſtico, cujus ope, ut dudum compertum eſt, facile ſolvitur mucus.

Omnium autem maxime juvat corporis exercitatio modica; hac enim fluidorum ac ſolidorum mutua intenditur actio, glanduliſque relaxatis redit vis tonica, qua et cohibetur nimia ſecretio, et rejicitur colluvies mucoſa.

FINIS.